

15
I. N. 7. C.
DISSERTATIO HISTORICA
DE

SYMBOLIS
VETERUM
SCANDIANORUM
CIVILIBUS,

CUJUS PARTEM POSTERIOREM,

Consensu Ampliff. Senat. Philosoph. in Reg. Acad. Aboënsi,
Sub PRÆSIDIO

MAG. JOHANNIS
BILMARK,

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.
PRO HONORIBUS PHILOSOPHICIS OBTINENDIS

Publico examini modeste submittit

CAROLUS SEDENIUS,

WESTRO-BOTHNIENSIS,

Die XV. Februarii MDCCLXVI.

L. H. Q. A. M. C.

ABOÆ impressit JOH. CHRISTOPH. FRENSKELL.

VIRIS

Admodum Reverendis atque Præclarissimis,

DOMINIS LECTORIBUS in inelyto Gymnasio Her-
nöfandensi & Consistorii **ADSESSORIBUS** Gravissimis,

D:no Mag. MICHAËLI STRÖM,

S. S. Theologiæ **LECTORI** Primario.

D:no Doct. NICOLAO GISSLER,

Logices, Physices & Medicinæ **LECTORI,**

Dn. Mag. CLEMENTI EURENIO,

Mathematicum **LECTORI.**

D:no Mag. PETRO SELANDER,

S. S. Theologiæ **LECTORI** Secundario.

D:no Mag. ERICO HELLBERG,

Eloquentiæ **LECTORI.**

D:no Mag. ERICO HÄGGBOM,

Græcæ Linguae **LECTORI.**

D:no Mag. ERICO SELANDER,

Histor. & Moral. **LECTOR.** Vicar.

FAUTORIBUS PROPENSISSIMIS.

Hanc Dissertationem in Symbolum gratissimæ mentis
& spem ulterioris favoris, inter calidissimas pro
felicitate VESTRA preces, consecratam voluit

NOMINUM VESTRORUM

Humillimus cultor

CAROLUS SEDENIUS.

MONSIEUR.

J'ai appris, MONSIEUR, que Vous allez donner au public une Savante Differtation, accomplissement de Vos travaux Academiques, sur les *Symboles de Nos Ancêtres*. Permettez donc, je Vous en prie, qu'à cette occasion, je Vous donne aussi un *Symbole d'obligation*, & un petit gage de ma reconnoissance pour tant de soin, que Vous prenez de mes études & de ma conduite. A la vûe de ces lignes souvenez Vous de me continuer Votre bienveillance, comme de ma part, en les regardant, je donnerai toujours à ma tendresse pour Vous un juste ressort. Plait-à-DIEU de Vous combler de toutes sortes de prosperités, afin que la Patrie & l'Eglise jouissent bientôt & long-tems des fruits heureux, que promettent Vos Vertus & Votre Erudition. Au reste soyez persuadé que personne au monde ne sera si sensiblement touché de Votre bonheur, que moi, qui ne cesserai jamais d'être

MONSIEUR

Votre très humble serviteur,
OTON R. ARMFELT,

Egregia hujus Dissertationis
AUCTORI CLARISSIMO,
Studiorum Suorum Moderatori Fidelissimo.

Mores & instituta antiquissimarum gentium ex obscuris, quibus plerumque involuta sunt, tenebris eruere, erutaque justo restituere nitore, opus est, quod multam postulat solertiam. In hoc tamen stadio Tu, Clarissime D:ne CANDIDATE, egregie versatus es, Symbolum industriae Tuae nobis exhibens alteram Dissertationem Tuam de Symbolis Veterum Scandianorum Civilibus; in qua multa passim interseris, quae ad genium Majorum nostrorum penitus cognoscendum & eorum commendationem pertinent. Tale scilicet opus Te optime decuit, Musarum & virtutum ingenuum alumnus. Nullus quoque dubito, quin spem, quam de Te Tuoque eximio ingenio pridem conceperunt omnes boni, ita augeas atque confirmes. Sed mitto laudes Tuas meritissimas, nec enim illas persequi aetas mea permittit; Symbolum tantummodo grati animi Tibi tradam, leve licet, & tam expectatione Tua, quam votis meis minus. Ut curam institutionis meae in Te suscepisti, nulli pepercisti opera, ut ad Eruditionis & Virtutis cognitionem pervenirem. Quas alii in disciplinis addiscendis experiuntur molestias, Tua industria sublata animadverti. Asperam virtutis semitam multi queruntur, Tu mihi eandem planam jucundamque reddidisti. Quod Tuum in me studium cum demereri nequeam, DEUM O. M. venerabor, velit Te omnigena felicitate mactare, ut virentem, quae Te manet, laurum latissima propediem consequantur premia! Ita ex toto pectore vovet

TUI

Studiofissimus
CAROL. HENR. KLICK.



I. N. 7. C.

§. IX.



agnam quoq; nominis celebritatem propter dictorum conventorumque fidem consecuti sunt veteres Scandiani, qui pro eo, quo fuerunt, erecto animo nec alios decipiebant, nec proinde cuiquam facile diffidebant (a). Promissis autem suis insigni robur addituri, dextram jungere solebant (b); qua data, vitam potius amittere, quam alios fallere voluerunt. Nempe uti *dextra fidei sedes* ab antiquis est habitata (c): ita præter hanc fortius aliud præstationis pignus se daturus non crediderunt. Insuper autem deprehendimus, quod in benevolentiae testimonium dona quædam subinde miserint; quibus visis, officii sui eo facilius admonerentur paciscentes, quæque Symbola OBLIGATORIA jure meritoque nuncupantur. Hæc autem si materiam vel formam spectemus, eadem plerumque fuerunt, ac *Hospitalia*, videlicet *annuli* aut *gladii*, si vim consideremus, tantum ipsa valuerunt, ut nihil sine exprobratione quis alteri negare posset, qui symbolis hisce monstratis opem ejus imploraret. Egregia sententiæ nostræ exempla passim in Historia occurrunt. Postquam enim

D

Nor-

Norvagiæ Princeps OLAVUS, postmodum *sanctus* appellatus, atque Westrogothiæ Jarlus RAGVALDUS multas diu aluerant similitates, amicorum tandem opera contentiones eorum sopitæ fuerunt; quo facto, Jarlus Principi huic in sinceræ amicitia pignus *gladium* atque *annulum* misit. Idem quoque OLAVUS in amicitiam Svethiæ Regis, OLAVI SKOTTKO-NUNG, pervenire cupiens, ad Jarlum modo memoratum, quem gratia apud regem imprimis valere cognoverat, misit *Bjærnonem*, aulae suæ Magistrum, ut Jarlum in suas sollicitaret partes, simulque munera pridem accepta porrigeret, hac usus formula: *quod Jarlus tesseram istam statim agnosceret, atque in arduo & pene capitali legationis negotio opera sua ipsam sublevaret.* Immo nec a spe sua dejectum fuisse Norvagiæ Principem, eadem Historia satis docet superque (*d*). Similiter memoriæ produnt annales, quod Norvagi, capti æquitate & benevolentia HACONIS BONI, ipsi miserint tesseras quasdam, quibus fidem suam illi obstrinxerunt (*e*). Quales autem illæ fuerint, in tanta monumentorum, qua premimur, inopia indagare non potuimus. Enimvero ab ingenua simplicitate haud ita multo post descitum fuit; quamobrem variæ fallendi pactaque eludendi artes sensim propullularunt, quæ tamen ne in perniciem generis nostri ingravescerent, alia introducta sunt Symbola, *Bomårken* vulgo dicta, quorum ope dijudicari possent enatæ controversiæ. Constant autem hæc arbitrariis, sed certis figuris, quas rustici alique lamellis ligneis incidunt, atque in firmita-

mitatem contractuum initorum permutant; Græcos ita imitantes, qui in pactis & conventis, tesseras quasdam adhibere consueverant, quæ loco tabularum & syngrapharum essent, ex quibus jus diceretur (f). Ad Symbola denique obligatoria referri possunt *Baculi Nunciatorii*, a nostratibus *Budkastar* dicti, quibus tam in sago quam in toga uti fuerunt. Scilicet imminente hoste, cum populus ad arma subito convocandus erat, baculus tripalmaris fune suspensus & infra peculiari signo notatus præstusque juveni tradebatur, qui vel equo vectus, vel, si loca minus distarent, ad finitimum pagum currens illum deferret, ut die præstituta 2 vel 3 ex qualibet domo aut viritim omnes convenirent, sub pœna vel combustionis ædium vel suspendii intergiverfantes. Sæpe etjam baculus nunciatorius formam rei gerendæ referebat, ut *gladii*, si bellum instaret, *teli*, si homicidium puniendum, *crucis* vero, si sacra peragenda forent g). Atque his usibus baculos dictos destinarunt veteres, recentiori autem ævo ipsas innoxie adhibuerunt in convocando populo ad extinguenda sylvarum incendia.

(a) Vid. de MONTESQUIEU *L'Esprit de Loix Tom. II. p. m. 65. seq.* (b) Hinc formula: HANDSALA GRID, id est, securitatem per dextram dare. Hinc etiam provenit sententia, quæ in antiquis legibus nostris occurrit: *Tagher hano dom ar sammantakit, wart och mingat*, vid. *Tiuf. B. L. E. Cap. 15.* (c) Vid. *Orat. CICERONIS pro Dejotaro, p. m. 314.* (d) Vid. *STURLONIDIS Heims Kringla Tom. I. p. m. 454.* Atque hoc loco non est reticendum, quod inde ab

antiquissimis temporibus Gothi, valide sese obligaturi ad aliquid præstandum, gladios suos tinxerint proprio sanguine effuso atque permisso, ceu refert HERODOTUS *Lib. IV.* (e) Vid. STURLONIDIS *Lib. 5 Tom. citat. p. m. 127.* (f) De hujusmodi symbolis procul dubio accipiendum est illud ISIDORI *Lib. V. Veteres, inquit, quando aliquid sibi promittebant, stipulam tenentes frangebant, quam iterum jungentes, ut symbolum sponsiones suas faciebant.* (g) *Const. Dissert. G. WILSKMANNI de regali postarum seu de tabellariis publicis p. m. 8.* Obiter saltem hoc loco erit monendum, quod Du CANGE in *Glossario ad Scriptores media & infimæ Latinitatis* vocem *Budkasta* in *Budksta* detorserit, ipsamque Latine esse originis sibi persuaserit.

§. X.

Sicut tam generis humani, quam præcipue societatis illius, cujus membra sumus, maxime interest scire, quo quis animo alteri obviam eat, an ipsi fidere possit, an vero illi diffidere debeat; ita veteres Scandiani tempore pacis figuram agni, tempore autem belli imaginem *Draconis contorti* in vexillis suis circumtulere: quibus symbolis significare voluerunt, se in hostem acres & strenuos, domi vero erga suos esse lenes & tractabiles. Quam quidem sententiam confirmare etiam videtur SALANUS: *Draco propriam caudam morso tenens, agnum sinibus suis comprehensum gessit in antiquis Sviogothici regni signis ac vexillis, his insuper additis:*

*S helgd och frid / som Lambet blid /
Och snäll i frig; som Lindorm wig (a).*

Quam etiam in rem eleganter admodum cecinit alius Poëta:

Mollia

*Mollia tunc atavis ducentibus otia Gottbis,
 Vexillum effigiem mitis habebat ovis;
 Sin vero in populis Mars tristem accenderat iram,
 Horrida flammivomi signa Draconis erant (b).*
 Ceterum de origine & fatis utriusque hujus Sym-
 boli aliquid jam differere, proposita nobis brevitatis
 haud permittit.

(a) Vid. *Notas ad ASMUNDI & ÆGILLI Histor. p. m.*
 102. (b) Vid. JOH. FRAXIN. apud CYRIACUM SPAN-
 GENBERG. in *Ziels Sp. Part. 2. Libr. 12. Cap. 25. p. m.* 319.

§. XI.

Quoniam vero Symbolorum militarium nunc fa-
 cta est mentio, instituti etiam ratio postulat, ut hæc
 ipsa plenius exponamus. Sicut enim majorum no-
 strorum ea fuit ferocia, ut longam quietem diu fer-
 re non potuerint, existimantes, masculam animo-
 rum vim hoc modo sensim hebescere; ita ea præ-
 cipue excoluerunt studia, quæ ad jugem armo-
 rum usum pertinent. Quo quidem in statu Symbo-
 la quædam ad evitandas turbas, quæ inter armo-
 rum strepitus existere solent, maxime necessaria fue-
 runt. Neminem vero fugit, quod hæc in tria ge-
 nera haud incommode dividi possint, scilicet 1:0 in
Vocalia, 2:0 in *Sonantia* & 3:0 denique in *Muta*, de
 quibus singulis seorsim agemus. *Vocalia* erant gno-
 ma, quod viva voce dabatur militibus, ut hujus
 recitatione distingverentur a personatis, si qui es-
 sent, hostibus. Dicebatur hoc ipsum *Q̄sen* nostra-
 tibus, & pro re nata sæpius mutabatur. Erat hoc
 præcipue necessarium vigilibus atque excubitoribus;
 & proponebatur ab eo, qui summam in exercitu
 D 3

habebat potestatem, aut qui ipsius absentis vices sustinebat. Qui autem iussa imperatoris capessebat & symbola militibus indicabat a Græcis *τεροσηφειος*, indeque a Latinis *Tesserarius* dicebatur. Quamvis vero antiquissimus sit mos tesseras distribuendi, sicut & Sacra & profana Historia docet, & ipsis forte præliis parum sequior, rarissima tamen apud Majores nostros deprehendimus Symbolorum vocalium vestigia ante religionem Christianam per Septemtrionales oras propagatam; a quo tempore præcipue invaluerunt. Sic cum Norvagiæ Rex OLAVUS Sanctus bellum gerebat contra cives suos, qui sacris gentilium renunciare & baptismi lavacro initiari noluerunt, exercitumque suum in varias diviserat cohortes, hoc singulis dedit Symbolum: *Gram / Gram Christmån / Korshmå / Kongsmån / id est, Rune, Ruite in arma Christiani, crucigeri, Regi vestro devoti.* Et paullo post in prælio ad STICKLESTAD Rustici, qui OLAVO signa inferebant, hoc usi sunt symbolo: *Gram / Gram Bondemån / id est, Festinate Rustici.* Enimvero cum hi audirent Christianorum symbolum; Triariis rusticorum incessit cupido, idem repetendi, unde maxima exercitus rustici facta est confusio, adeo ut rebelles in seipsos tandem mucrones verterent (a). Videntur etiam more vicinorum Germanorum ad arma conclamasse, atque *truci cantu*, quem *barritum* vocabant, Goth HÆRROP, HÆRSKRI, in prælium ivisse (b). Imprimis vero terribili vociferatione, bellorum præsidem & fortium virorum promachum, *Othinum*, quem *Jodut* vel *Jadut* nuncuparunt, prælium auspicatori in partes suas sollicitabant (c).

(a) Vid.

(a) Vid. STURLONIDIS *Libr. cit. Tom. 1. p. m. 764*
 & 790. (b) Confr. TACITI *Histor. Libr. II. & LOCCEN.*
Antiquit. Sueogoth. p. m. 126. (c) Vid. DALINI *Hist. Patr.*
Tom. 1. p. m. 249. not. n.

§. XII.

Sequuntur nunc Symbola, quæ per majorem aut
 fortiorem eduntur sonum. Eum in finem veteres
 adhibuerunt instrumenta Musica, ut tubas, bucci-
 nas & cornua, quorum diverso audito sonu, ceteri
 mox intelligebant, quid ipsis tunc faciendum esset.
 Erant hæc in initio simplicis admodum structuræ,
 sed quæ deinceps, prout dies diem docuit, sensim
 fuit emendata & præstantior reddita, adeo ut de A-
 LEXANDRO M. referant Scriptores, quod tubam
 habuerit Stentoream, cujus ope cum singulis militi-
 bus, quamvis procul abessent, colloqui posset. Hu-
 jus formam subtili indagine recentiores detexerunt
 Mathematici, ostendentes ipsam ex segmentis Elli-
 ptico & Parabolico, apte inter se connexis, fuisse
 compositam (a). Sed hæc obiter. Veteres Scandiani
 in convocandis militibus plerumque adhibuerunt fi-
 stulam ligneam conoidæ figuræ, quam *Luder* appel-
 larunt, illi non dissimilem, qua pastores etjamnum
 utuntur. Hæc classicum canebant & sese in prælium
 excitabant (b). Quem in finem cornua magnorum
 taurorum subinde adhibebant. Qui vero tubas in-
 flandi artem callebat, a nostratibus *Luthur Svein* di-
 cebatur (c). Immo, acie ipsorum more formata, post-
 quam signum pugnæ datum erat, gladiis ad scu-
 ta concrepuerunt, atque sic se in prælium anima-
 runt (d).

(a) Vid,

(a) Vid. MUSSCHENBROEKII *Physic. p. m.* 468.
 (b) Vid. STURLONIDIS *Hesms Kr. Tom. I. p.* 737. & *alibi passim.* (c) Vid. *Libri modo cit. Tom. II. p. m.* 275. (d) Vid. H.β. GOTHR. & ROLF. *c. XXIX. p.* 237.

§. XIII.

Sicut majora corpora & quæ præcipuam habent constantiam, ut cœlum, mare, montes, densæque sylvæ colore imprimis cæruleo sese conspicienda præbent; ita quoque Majores nostri in ipso etiam vestitu gravitatem ostensuri, hujus symbolum adsumserunt *colorem cæruleum* seu *violaceum* (a). Fatendum quidem est, quod non omnes antiquissimis temporibus vestes hoc colore imbutas gesserint, Principes tamen & singuli, qui propter magnanimitatem celebrari cupierunt, hunc præcipue colorem in deliciis habuerunt. Quare de habitu SIGURDI SYR, Regis Norvagiæ, ut alia exempla siccò prætereamus pede, memoriæ prodit STURLONIDES: *Sva er sagt um þannat hanns, at hann hafði kyrtill blann, blar þosor &c.* id est: *proditum est de Sigurdi quotidiano vestitu, eum tunica cærulea indutum incessisse, caligis etiam ejusdem coloris usum &c.* (b). Scilicet hic color optime conveniebat populo, inter cæruleos maris fluctus educato, & qui majorem ætatis partem in navibus, quam in continenti transigebat terra. Hinc quoque postmodum factum esse novimus, ut totus ferme exercitus Svio-Gothicus, exceptis Dimachis viridibus Bahusienibus, *Grøne Dragonerne*, & paucis aliis legionibus, *tesseram militiæ*, vestes cæruleas, adsumferit.

(a) Color hic nomen sortitus est a *Viola*, quæ a *violando* per antiphrasin ita dicta est, quod neque pruina, neque veris ineuntis rigore aut nasci prohibeatur, aut nata violetur, ceu monet TH. HOEPINGUS in *tractatu de Jure insignium* p. m. 652. Ad constantiam igitur indigitandam in Nobilium insignibus hic color sæpe adhibetur: Blaue farbe bildet in den Adeltichen Wappen und Schilden große Tugenden, inquit JABLONSKI in *Art. Blau*. (b) Vid. *Heims Kr. Tom. I. p. 404*.

§. XIV.

Præterea notandum est, quod quoties veteres Scandiani in militiam aliquem reciperent, eidem approbationis quoddam symbolum dederint, scil. vel pecuniam vel certum aliquod armorum genus, imprimis vero appenso gladio commilitonem cinxerint. Atque hic quidem mos valde antiquus fuit, quippe cujus mentionem etiam facit TACITUS, dum describit consuetudines veterum Germanorum, quorum nomine Majores etiam nostros olim fuisse comprehensos constat. Ita vero ille: *Nihil neque publicæ neque privatae rei nisi armati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probavit. Tum ipso concilio vel Principum aliquis, vel pater vel propinquus scuto frameaque juvenem ornant. Hæc apud illos toga: hic primus juvenæ honos; ante hoc domus pars videntur, nunc reipublicæ (a)*. Viguit hic mos etiam sæculo superiori, adeo ut nemini licitum esset, gladium gestare, quam ejus esset ætatis, ut castra sequi posset. Exemplo Regis nostri Gl. mem. GUSTAVI ADOLPHI hoc luculenter constat, quippe cui, Principi licet, non prius concessum gladio se accingere,

gere, quam cum in prælium abiret (b). Quid? quod Scandianis haud inusitatum fuerit, Ducem, nuper constitutum, clypeis suis imponere, impositumque toti monstrare exercitui (c); quo symbolo indicasse videntur, quod clypeos suos, quibus vitam in præliorum discriminibus defendebant, Duci subjiciendo, ipsum pluris, quam carissima quævis facerent.

(a) Vid. TACITI *German. Cap. XIII.* (b) *Conf. inter alios PUFENDORFII Introduç. ad Hist. Svecan.* (c) Vid. LOCCENII *Antiquit. SvecG. L. II. Cap. XXV.*

§. XV.

Inter symbola muta a nobis memorata locum, si non primum, attamen luculentissimum sibi vindicarunt IGNES. Horum enim cum ea sit facultas, ut obscura præsertim nocte accensi radios ad aliquot milliarium distantiam dispergant, simul incolas locorum vel certas cohortes, quæ hæc intelligunt signa, subito & sine strepitu admonent, quid potissimum illis sit faciendum. Usus horum varium fuisse, ex historiis adfatim constat. I.o Modo enim deleta manus, quæ ex mandato Ducis opportunum locum occupaverat, accenso in eodem igne, reliquis copiis significabat, jam tempus esse, hostes invadendi. II.o Interdum etiam obsessi auxiliis suis, quæ advenisse cognoverant, accensis & elevatis facibus signum dederunt, sibi tunc propositum esse in hostes, urbem oppugnantes, impetum facere, ipsaque admonuerunt, ne se destituerent, sed conjunctis viribus commune negotium aggredierentur. III.o Quo-
tics

ties milites ante pugnam in subsidiis vel etjam insidiis collocabantur, toties incensis atque elatis facibus admonebantur, ut id sedulo exsequerentur, quod ipsis esset demandatum. IV:o Nonnunquam etjam perfidi proditores per ignes ansam præbuerunt hostibus, destinata animi consilia effectui dandi. Ita narrat APOLLONIUS (a) Argonautas a Medea, ostenso lumine, excitos fuisse ad Colchos adoriendos:

Οἱ δ' ἄ, υδὶς πύρσσια σέλας προπάρειθεν ἰδόντες,
 Τὸ σφιν παρθενηκὴ τέκμαρ μετιῦσιν ἄειρε. i. e.

*Illi autem repente facis splendorem ante se conspicati,
 Quod ipsis signum Virgo aggressuris tollebat.*

Tali quoque sine signo ignis usam fuisse HELENAM in expugnatione Trojæ, canit VIRGILIUS:

- - - Flammam media ipsa tenebat
 Ingentem, & summa Danaos ex arce vocabat (b).

V:o Imprimis autem in altissimis montibus strues lignorum congeriebantur atque in formam pyramidum aptabantur, quæ a speculatoribus incendebantur, quoties hostis ad littora naves appulerat, idque eum in finem, ut tam incolæ adversariorum impetum tempestive declinarent, quam militibus occasio præberetur in datum locum conveniendi, & de hostibus repellendis consultandi. Dicebantur autem hæ a Græcis ἄγγαροι, Φουκτοί, πυρσὶ, &c. & a Scandianis *Wetar* / *Wifar* / *Wetlar* / *Bötär* / *Wardbötär* / *Landawet-
 tar* / *Bardar* / *Wäderwardar* / *Wärdeldar* / *Wardkafar* / *Eldkafar* / *Kalswat* / *Kummel* &c. Et qui harum cū-

ram gerere tenebantur, nuncupati fuerunt *Ward* *hallsmán* / *Witafarlar* / *Kaewárdar* (c). Erant autem plures Angari & singuli ita dispositi, ut flamma unius in alterius loco confestim posset conspici. Quam in rem STURLONIDES: þat scylldi oc fylgja utboði þvi / at Wita scylldi gra a ham fjöllum / swa at hvern mátti sía fra auþrum / id est, vertente PERING-SKIÖLDIO: *statutum etiam, ut ignes speculatorii in collibus emiuentioribus seruantur, quibus nuncius in loca vicina propiusque remota perferri posset* (d). Quibus addit Historicus noster, sibi relatum esse, quod ignes hi accensi omnes regni (Norvagici) incolas intra septem dierum naturalium spatium certiores reddere potuerint, quæ regni pars hostilem vim experiretur. Enimvero licet pyræ modo memoratæ multis, sæuente imprimis Bellona, essent saluti, subinde tamen factum fuisse perhibent annales, ut visis e longinquo prædatoriis navibus, parum aut nihil prorsus hostilitatis portendentibus, strues hæ accenderentur; quo facto, ingens toti regioni incutiebatur terror. Gravis igitur pœna in illos statuta fuit, qui pyras accendere prius auderent, quam certissime constaret, hostium classem ad littora appulisse (e).

(a) *In Argonaut. IV.* (b) *Vid. ÆNEID. Libr. VI. v. 518, 519.* (c) De his nominibus egregie differit, multaque momenta de *Angaris* scitu dignissima proponit B. THEGMAN *in Dissert. de Angaris.* (d) *Vid. STURLONIDIS Lib. cit. Tom. I. p. m. 149.* (e) *Confr. Libr. STURLONID. cit. p. 150.*

§. XVI.

Symbolis a veteribus quondam usurpatis haud
imme-

immerito annumerandus est PILEUS; quo tamen res plane diversæ significabantur. Hujus enim elevatio interdum signum certaminis incipiendi erat. Sic POLYÆNUS memoriæ prodit, quod cum Ephori intellexissent, Parthenicos inter se constituisse, cum novandarum rerum tempus viderent, ἐν μέσῳ τῆς ἀγορᾶς πῖλον ἀβάσχω, medio foro pileum pro signo tollere, per præconem pronunciari jusserunt: Abite vos, qui pileum sublaturi eratis (a). Ab hoc capitis velamento Rex Svehthiæ ERICUS EMUNDSONIUS cognominatus est PILEUS VENTOSUS, Wäderhatt, eo quod tanta navigandi felicitate frueretur, ut vulgus crederet, quod ventos dicto obedientes sibi reddere posset (b). In memoriam cujus vel etjam OLAVI HARALDSONII in jugo montis prope Holmiam cernitur suspensus ex pertica pileus ferreus, atque ipse locus dicitur Kongehatt (c). Docent quoque annales, quod Regis OLAVI GUDBRANDI milites nuncupati fuerint Hettos Sveina / id est Milites Pileati (d). Interdum vero pileus ex pertica suspensus symbolum pacis fuit. Legimus enim, cum SEVERINUS NORBY ad arcem Stegeburgensem, novis præsiidiis novoque comœatu instruendam, accessisset, nescius eandem in Svecorum potestatem pervenisse, caduceator præmissus quum Castello appropinquasset, pileum in signum pacis perticæ imposuerat, quem cum miles quidam præsidarius glande plumbea transverberaverat, Norby mox intellexit fatum arcis, & sese, quam posset, celerrime inde recepit (e). Denique silentio non est prætereundum, quod pileus elevatus symbolum recupera-

tæ libertatis nonnunquam fuerit. Quare etiam
PERSIUS:

Hæc mera libertas, hoc nobis pilea donant (f).

Quamobrem interfecto **NERONE**, multi pileos gestasse dicuntur; quasi tunc libertatem consecuti essent (g). Similiter cum **ENGELBERTUS**, Gothicus ille Thrasybulus, Danos passim e patria nostra eiecisset, Holmiam tandem, effractis portarum repagulis, ingressus, *pileum* mox perticæ imponendum curavit, hoc symbolo adlictos cives in libertatem vocans (h).

(a) Vid. *Ejus Libr. de Stratagematibus Cap. XIV.* (b) Vid. *Chronic. Rhythmic. edit. a MËSSENIO p. m. 75.* (c) Vid. **DALINI** *Hist. Tom. I. p. m. 547.* (d) Confr. **STURLONIDIS** *Libr. cit. Tom. II. p. m. 441.* (e) Vid. **LOCCENII** *Hist. Svec. p. 213 & 214.* (f) *Satyr. Libr. P. v. 32.* (g) Cfr. **DION. CASSII** *Libr. XLIII. sub fin.* Hinc in nummis antiquis passim videmus Pileum cum inscriptione **LIBERTATIS**, ut in nummo **TIB. CLAUDII**, in quo simulacrum est dextera pileum gestans, lævam expansam habens, cujus inscriptio est **LIBERTAS AUGUSTA**, vid. *Pierii VALERIANI Hieroglyphica p. m. 497.* (h) Vid. **LOCCENII** *Libr. cit. p. m. 130.*

§. XVII.

Prout arma alios lædendi sensim sensimque mutata, aucta &, quod certe dolendum, perverso huic fini aptiora reddita fuerunt, ita quoque ab altera parte instrumenta quævis contra ictus hostium sese defendendi firmiora facta sunt. Adhibebant enim primo pileos tantum, ut capita tegerent, quorum in locum deinceps successerunt **GALEÆ**, Svethice *Järnhattar* vel *Rättillhattar*/ quod ex *ferro* & *cupro* essent confectæ; quæ usurpatae sunt, donec eas satis incommodas

das experta fuit sequior ætas. Erant autem hæ symbolum viri eximii, qui rebus in bello fortiter gestis inclarescere voluit. Postquam religio Christiana per Septentrionem emicuit, Principes, qui isthanc armis ferroque, ut facer tunc erat sæculorum furor, propagabant, galeas suas signo crucis plerumque notarunt. Sic de Norvagiæ Rege OLAVO S. perhibet STURLONIDES: *Nier skulum mårka loph vart allt gjõra herkuml a hjeimum vorum oc skjoldum/ draga þar med bleikio a krossinn helga/ id est, peculiari tessera nostri exercitus milites discerni debent, adfixo signo crucis albicantis super galeas & loricas ipsorum (a).* Ceterum quoad formam galearum notandum, quod primo unum foramen in frontispicio haberent, per quod hostium molimina videre possent; quales sunt galeæ Regum nostrorum MAGNI LADULÅS & CAROLI CANUTI; deinde vero pluribus foraminibus ornatus causa easdem perspicuas reddiderunt, quæ postmodum, velut argumentum decoris militaris, Nobilium insignibus superius infigebantur (b).

(a) Vid. *Libr. cit. Tom. 1. p. m. 764.* (b) Vid. *LOCENII Antiq. Sviogoth. p. m. 136.*

§. XVIII.

In numerum Symbolorum militarium præcipue referebantur VEXILLA, de quibus nonnulla quidem, sed pauciora tamen, quam materiæ postulat dignitas, in medium nunc proferemus. Dicebantur autem hæc a Majoribus nostris *Mårke/ Tefn/ Hårta tefn/* immo, quæ nomina præsentis usu adhuc valent,
Ba

Waner (a), **Fahna** atque **Standar**. Mittimus ortum ceterarum vocum atque in incunabula nominis **Fahna** brevissime inquiremus, de quibus nempe varias apud auctores deprehendimus sententias. Nonnulli enim hoc deducunt a voce *Theotisc. Fanon*, id est *Lin-teolo* vel *operimento*, ut notat *Papias* (b); alii rursus hanc vocem arcessendam putant ab antiquo Goth. **FANIN**, quæ *Dominum* item *DEUM* significat; ideo quod veteribus haud infrequens fuit, Deorum imaginibus vexilla sua ornare; pro quo tamen aliis magis aridet Latina derivatio a *Fano*, quod scilicet hæc symbola in fanis vel templis præcipue conservarentur (c). His vero jam allatis aliam addere licet. Neminem igitur fugit, quod multa sint vocabula Gothica, quæ Græcam originem lucolenter sapiunt, quamobrem vocem **Fahna** potius deducimus a *Φάσις* *appareo*, siquidem *lintea* vel *fasciæ* (d) hastis aut perticis imponebantur, ut e longinquo apparerent, atque milites in præliorum discriminibus, his visis, mox intelligerent, quid illis potissimum esset faciendum. Sed hæc obiter. Vexilla autem duplicis generis in annalibus reperimus, *Majora* & *Minora*. *Majus* dicebatur etiam *Regium Latin. Labarum*, atque veteribus Gothis *Hofwit Waner* / sicut *Historiæ* passim docent: *Minora* vero simpliciter **Waner** nuncupabantur (e), qualia cuilibet cohorti in præliis & itineribus præferabantur (f). Fuit insuper & est vexillorum eximia Sanctitas, adeo ut qui sub eodem signo militant, arctissimo fidei vinculo se constrictos esse scirent, non nisi morte aut bello pace finito, se vexillis,

lis, in quæ jurarunt, & a se invicem divelli pate-
rentur. Dum vero vexillum regium explicabatur,
signum hoc erat, milites brevi post acie cum ho-
stibus fore congressuros. Cujus rei documentum
nobis præbet Historia Regis Svethiæ EGILLI, *Tun-
na-Dolger* appellati. Cum enim rebellem civem,
Tunni dictum, bello prosequeretur, acie instructa,
vexillum suum constitui atque explicari jussit (g).
Præterea sicut Dictatores Romanorum, dum ambi-
gua valde esset pugnæ alea, signa nonnunquam in
hostium agmina projicerent, ut sic milites, animos
prope despondentes, incenderent, & victoriam ab
hostibus extorquerent (h), siquidem maximum pu-
tabatur dedecus, vexilla hostibus relinquere; ita et-
jam in bello sacro ROBERTUS VISCARDUS, Nor-
mannorum Dux, *aurum vexillum* in hostes frequen-
tissimos conjecit, quod dum omni ardore recupe-
rare conantur milites sui, & illud, &, quod vix
speraverant, speciosam iterum iterumque reportant
victoriam (i). Hinc cum HAQVINUS, Norvagiæ
Jarlus, in prælio contra Regem HARALDUM
HÅRDRÅDE vexillum amisisset, ausus est cum vi-
ctrici agmine solus congregi, & vexillifero interfe-
cto signum suum ferociter recepit (k). Nec hoc
loco est reticendum, quod cum apud alias gentes,
tum apud veteres Scandianos vexilla quædam fue-
rint, quibus peculiaris vis inesse credebatur ad mi-
litum animos augendos atque ad hostes superan-
dos. Sic Sveci magnum & prope Divinum pretium
statuerunt *Labaro* S. ERICI, quod caput probi hu-

jus Regis præferbat; Dani autem plurimum tribuerunt palladio, *Danebrog* dicto, quod crucem albam in rubro campo exhibebat (l), & denique Norvagus præcipuam victoriæ spem fecit expansum vexillum Regis eorum HARALDI HÂRDRAÐI *Landeithan* seu *Landödan* / quasi *terrarum vastatricem* diceres, appellatum, de cujus insigni & cælata imagine Eruditi multum disputant. Si vero hoc ortum suum debeat Regi Norvagiæ, OLAVO S. quod non absque omni veri specie adferri potest, in vexillo hoc pictus fuit *Serpens*; ita enim STUR-LONIDES: *Han hafpi hvitt merki / þat var ormur / id est: Vexillum ejus album erat & Draconis præferbat imaginem (m)*. Denique & hoc addimus, nam singula rite persequi instituti ratio non permittit, quod pro diversa finium ratione diversis etiam *coloribus* vexilla tingerentur; quæ enim *rubro* micant, vulgo *Blod = Fahnor* / imminentes cædes atque rapinas denotant. Alia urgente extrema necessitate porrigebantur, vulgo *Rödfahnor*; alia præsertim, quæ *candido* nitebant *colore*, pacis expetitæ signa fuerunt, ideoque *Freds = Fahnor* communiter dici siveverunt.

- (a) Vid. imprimis P. L. SUNDBERGI *Dissert. de Scandianorum sequioris ævi Religione signorum militarium* §. XXIII.
 (b) Vid. SPEGELS *Glossarium Svecogothic. in voce Fahna*.
 (c) Vid. ZIMMERBERGI *Dissert. de Sanctitate Vexillari* p. 5 & 6. (d) Ab his fasciis *Sveith*, *Bann* vel *Band*, quod *Glossarium Græco-Latinum* reddit per *Βάνδον*, *Signum*, ortum est *Baner*; quales fasciæ loco vexillorum olim adhibitas fuisse

se constat. Sic POLYÆNUS *Libr. II. in Alexandro* §. 29, non *lintea*, sed ζώτας λευκὰς adhibitæ fuisse docet. (c) Cfr. LOCCENII *Antiquit. Sveogoth. p. m. 120.* (f) Vid. STURLONIDIS *Libr. cit. Tom. 1. p. 764, 786. &c.* (g) Vid. STURLONIDIS *Libr. & Tom. cit. p. m. 33.* (h) Vid. FORNANDRI *Dissert. de Virtute Romana, signa militaria in hostes projiciendo, victoriam extorquente.* (i) Vid. PAULUS ÆMILIUS *de rebus gestis Francorum, Libr. IV.* (k) Conf. STURLONIDIS *Libr. cit. Tom. II. p. 147.* (l) Vexilla hæc non cælitus demissa, sicut superstitiosa plebs olim credidit, sed Roma Regibus, expeditiones sacras meditantibus, fuisse transmissa, jure adserit MESSENIUS *Scand. Illustrat. Tom. XII. p. m. 114.* (m) Vid. STURLONIDIS *Libr. Tom. I. p. m. 424.*

§. XIX.

Quoniam denique in symbolis leves quidam linearum ductus amplam cogitandi materiam præbent, atque *Apophthegmata* vel *scite dicta* Heroum & Oratorum paucis verbis rem magni momenti indicant, facile patet ratio, quare hæc etiam a nonnullis *Symbola* nuncupentur. In hoc disciplinæ genere adeo excelluerunt veteres Scandiani, ut gentibus tantum non omnibus aliis palmam reddiderint dubiam. Fidem dictis faciunt innumeræ illæ sententiæ, quibus annales nostri sunt referti. Et profecto singuli ipsorum versus, præsertim qui prolixam sapiunt canitiem, & breves sunt & ingeniosi quid continent; quod luculenter ostenderemus, si ancisæ nimis rationes domesticæ his diutius immorari permitterent. Habes ita B. L. telam ex fatiscensibus

monumentorum laciniis rudi nostra opera contex-
tam; in arduo autem hoc negotio facilem nobis
pollicemur veniam, si momenta singula, qua par
fuit, industria & sagacitate indagare, & obsoleta
pridem vestigia apte renovare non potuerimus.
Quis enim omnia rite explicet

Quae longinqua satis potuit mutare vetustas?

SOLI DEO GLORIA.

CLARISSIME DOMINE CANDIDATE.

Plurima Tui in me, non solum puerum, verum etiam
per breve illud temporis intervallum, quo, post meum
adventum ad Regium hoccæ Lyceum, suavissima Tua con-
versatione frui mihi licuit, amoris amicitiaeque exstant
documenta; mihi igitur deessem, nisi lætus hilarisque
hanc arriperem occasionem, animum meum erga Te gra-
tissimum pietatisque ac reverentiae plenum, publice te-
statum reddendi. Exoptatissimus quidem jam mihi esset
campus in Tuas excurrendi laudes, in quem etiam exspa-
tiarer, nisi Tua modestia, laudum minime cupida, me
prohiberet. Interea ex animo Tibi gratulor eruditionem,
qua polles, egregiam; gratulor Tibi feliciter & omnium
adplausu exantlatos labores Academicos; gratulor lau-
ream propediem verticem Tuum coronaturam; gratulor
denique mihi fidelissimum minimeque fucatum amicum.
De cetero ex intimis cordis recessibus tot tantaque Tibi
fausta atque felicia adprecor, quot quantaque humana
unquam capere possit conditio. Vale!

JOHANNES LENÆSIUS.